



Zechus apud Croatos haud obscuris parentibus natus, non immerito in magna existimatione fuit. erat enim insigni corporis & animi fortitudine praeditus. Dum autem cum principe viro ites intercessissent, atque ipse eundem interfecisset, ob aduersariorum potentiam iudicium sententiam timens de fuga cogitare coepit. Accidit autem commode ut Adalgerus Boiorum dux cum suis Bohemiam partiam ob Hunnorum & Gothorum incursiones reliquissent, atque versus Meridiem profecti ad Danubium confedissent. Itaque Zechus communicato cum fratre Lecho atque alijs amicis consilio, quan-

ta manu potuere in Bohemiam tenderunt, atque eam inhabitare cooperunt, iuxta montem Chezip. Terra adhuc inculta ferre erat. Nam prisci Germani pastorealem uitam agrorum culturam neglexerant, ac alimoniam ex pecoribus traxerant. Itaque domesticum in Carris tollentes instrumentum, quo cuncti sors tulit cum suis armentis conuertebantur. Verum Zechus qui apud Dalmatas rerum usum perceperat, regionem aedificiis exornare, habitatores legibus coercere, atque terram colere statuit. Id cum Lechus frater intellexisset, accumulatione quadam ductus, versus Orientem profectus est, & in magna camporum planicie, quae Polle dicebatur, confedit: Vnde Polonia regio postea appellata. Accidit id circa annum Christi quingentesimum. Hoc modo factum ut Bohemia & Polonia regna duo florentissima a duobus fratribus constuerentur.